

di studio incensus, aliosque docendi stolidi cupiditate inflatus, quam placido eruditorum examini hanc meam opellam submit- tens, eorumque sententiis, utrum recte an minus caute in hac re versatus fuerim, edoceri cupiens, hanc qualemcunque scriptio- nem publici juris faciam. Justam glorian- di materiam me nactum esse arbitrabor, si institutione egregia *illustris* MICHAELIS et HEYNI atque S. V. HUFNAGELII, quos fautores atque praeceptores summa pieta- te nunquam non venerabor, me haud in- dignum, aliorumque clarissimorum viro- rum scriptis justo modo usum fuisse, pro- nunciabunt ii, quibus judicandi facultas in hac litterarum parte competit, meque ad ulteriora studia excitandum esse statuent.

OBSERVATIO I. AD PS. IV, 7.

Comma hujus versus ultimum

כסה עלינו אור פניך יהוה

vix commodum exhibet sensum, si maso- rethicis punctis verba animantur. Duplex

saltem anomalia scriptionis ex communi interpretum sententia admittenda est, si נסה pro נשא, ט loco ש et ה loco נ positum esse putatur. Quamvis haec interpretatio Chaldaei et Aquilae inter veteres, et Abenefrae atque Kimchii inter Rabbinos testimonio nititur, et Cod. 245 Kenn. qui נשא exhibet, lectione firmatur, locisque parallelis Num. VI, 23. 26. Prov. XVI, 15. Ps. XLIV, 4. defendi potest, vereor tamen, ut regulis grammaticis et exemplis (\*) haec anomalia probari possit. Varia inde orta sunt conamina lectionem vel mutandi, vel aliter explicandi. E veteribus jam Alexandrinus interpres vocem נסה a ט vexillum, signum militare, derivavit, et

(\*) quae enim in Notis uberius Jo. HENR. MICHAELIS afferuntur exempla Ps. LX, 4. רפה pro רשא Job. IV, 2. הנסה pro הנשא et Gen. XXIII, 6. Jer. XIX, II. partim nihil omnino probant, cum vel sine mutatione scriptionis sensus horum locorum commodus existat, partim huc non transferenda sunt, quoniam duriusculum esse videtur, duplicem in uno eodemque verbo accipere orthographiae aberrationem.

et in praet. Niphal נִסָּה pro נִסָּה elocutus  
est. Vertit enim haec verba: εσημειωθη εφ  
ημας το φως τς προσωπς σς κυριε, adstipulante  
Vulgato: *signatum est super nos lumen vul-*  
*tus tui*, et Arabe: *jam illuxit nobis lumen*  
*vultus tui*. Sequitur hos illustris MICHAELIS,  
ita tamen, ut in imperat. Piel נִסָּה pro-  
nunciandum esse contendat, *lumen vultus*  
*tui, o domine* (i. e. si hebraismum nostro lo-  
quendi more exprimere volumus, gratia  
tua, o domine) *sit vexillum nostrum*. Sy-  
rum interpretem legisse נִסָּה et נִסָּה perhi-  
bent criticorum plurimi, vertit enim: *pro-*  
*tendet* (נִסָּה) *super nos lumen vultus*  
*sui*, sed ex consueta etiam lectione eandem  
versionem exsculpere potuit, dummodo  
נִסָּה in Piel pronuntiavit, derivatum a נִסָּה  
vexillum quod elevatur aut protenditur in  
conspectu exercitus. Meliorem fortasse  
verba alio modo divisa, aliisque punctis  
vocalibus animata sensum fundent: *vexil-*  
*lum nostrum est deus altissimus, lumenque vult-*  
*tus tui o Jehova*

בַּס הַעֲלִיז וְאֹר פְּנִיךָ יְהוָה.

Hoc saltem modo verba praecedenti interrogationi: "*quis monstrabit nobis felicitatem, vel in quem intuentes felicitate fruemur, felicem belli exitum sperare poterimus*"? aptissimam hanc reddunt responsionem: "*Altissimum est vexillum quod intueri et sequi debemus, gratia tua o domine nos felicitatem exspectare jubet.*" Vitatur etiam hac explicandi ratione subita et incommoda orationis mutatio, qua ex vulgari interpretatione poeta ab interrogatione statim ad precationem transit. Alia etiam verborum divisione, lectionisque mutatione, antea hunc locum restituere tentaveram:

בַּסְּכֵר עֲלִיז וְאֹר פְּנִיךָ יְהוָה

quae eundem sensum fundit, et in eo etiam conjecturae modo expositae praestare videtur, quod obscuriori עליכו suffixum substituitur nomini בס junctum; attamen cum paullo audacior sit haec mutatio, (quamvis figurarum ה et כו similitudo permutationis earum ansam facile praebere potuit) in

ea quam supra proposui conjectura acquiescere, quam temeritatis crimine onerari malo. Silentio interea praeterire nequeo lectionem Cod. Kenn. 291. a KENNICOTTO praetermissam, quae aliquid roboris interpretationi vulgari addere videtur. Habet nimirum in margine Keri כִּרְיָהוּ, apertum itaque testimonium exhibet, lectionem hanc olim in codd. etiam hebraicis fuisse longe, quam nunc est, frequentiore.

OBSERVATIO II. AD Ps. VII, 9.

Postquam in antecedentibus versibus vates precibus ad deum fuis questus erat de hostium injuria, falsisque quibus famam illius aspergere solebant criminationibus; innocentiam suam tandem a deo vindictam iri sperat, illumque ad ultionem provocat. Sistit itaque deum tanquam iudicem in tribunali sedentem, cinctum populorum corona, atque sententiam contra iniquos e coelo quasi pronunciantem. *Sur.*